



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Megengavdivs C. 19. Decembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

MODESTVM cum ceteris liberis suis scripsit. At isti, quò potius accederet aliquid ad hereditatem, quàm decederet, Ægyptio homini & à sacris nostris alieno adolescentem vendiderunt. Septem annos cùm servisset, è servitute Deorum tandem etiam Dominum eripuit, & libertus Solymas abiit. Ibi demum ad Patriarchatus dignitatem e-vectus, cùm veneno infectum fontem purgasset, fontisq; incolam serpentem neci, cacodæmonem sub cane latrantè fugæ dedisset, hospitioque, qui in servitute illum dederant, coheredes illos suos peramanter excepisset, dignam Natalibus suis mortem obiit. Sed amisit Ecclesia, vel cælo teste, tunc columnam suam. Imò non auarit; transfudit eò, ubi ipsa sese ædificat. *Ex Menais.*

S. MEGENGAVDIVS C.

19. Decembris.

ILLA demum vera nobilitas est, non pauciores virtutes, quàm ceras quæ potest numerare. Potuit MEGENGOR Geldria Comes, idemque fortissimus militum Dux, & hoc nomine Imperatori Ottoni III. cum primis charus. E conjugè Gerbirge Zurphaniensi item Comite cum filias IV. filium sustulisset unicum, hunc ipsum in primo ætatis flore, bello Bohemico amisit. Quid expectas? scilicet lacrimas vel armato Marti

Marti exprimendas, & dignos patre gemitus? viduos matris capillos & lacrum planctu pectus? omnia alia audies. In funere filii mortuique vultu suum agnovere parentes, hoc est mortalem. Vtiq; mortem lecturam maturos ætate fructus suos, quæ immaturos carperet, satis oppido jam vixisse parentes, qui vixisse filium aspicerent. Convasare igitur MEGENGOR & in tuto locare impedimēta, opes, hoc est, in cœnobio, cui Adelhaidem filiam præfecit, deponere; ipse quoque animo à mundo abesse, cum non posset corpore; castitatem deinceps cum conjugē colere; lectioni sacrarum literarum se dedere; denique in oculis nihil præter mortem & æternitatem habere. Ita non imparatum hæc offendit anno ab obitu conjugis tertio. Mortuus filia primò visus est illa verba Vatis blandissimè effari, *Ecce moritur justus & nemo recogitat*, tum alteri deinde è virginibus regio habitu fulgens nuntiansque MEGENGORIS nomen in MEGENGAVDII sibi mutatum esse, *Ex vitâ S. Adelhaidis & Molani.*

SS. AMMON ET SOC. MM.

20. Decembris.

SVB annum paræ salutis CCLIII.
SALAXANDRIÆ eodem tempore in
Christianos favitum est & in latrun-
culos